

CL  
3042

Ec. 95.



1

D.G. MORHOFFI  
OTIA  
DIVINA  
Sive  
CARMINUM  
SACRORUM  
LIBER.

---

LUBECÆ,  
Apud Petrum Böckmannum,  
Typis Mauricii Schmalhertzii, 1685.

KDEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

D E O  
O P T. M A X.

S.

**M**agne Deus, cujus mortales vescimur  
aurâ,  
Cujus in hos artus spiritus ore ve-  
nit,

Cui se Mens totam, cui templum pectora de-  
bent,

Et vectigales non sua lingua sonos,

Qui per inaccessos immensus spargeris orbes,  
Ut tamen & minimis magnus adesse velis.

Me Tibi sisto pigrae tenuem telluris alumnum,  
Ac humili mersum pulvere tollo caput.

Tu quondam ætherei duxisti in luminis auras;  
Quod mihi vivo, Pater, quod Tibi vivo,  
tuum est.

Quod mens non læva est, quod honesti tan-  
gitur æstro,

Quodq; tui fervet Numinis igne, tuum est.

A 2

Re-

Respice me, (quid enim non spectas maxime  
rerum

Arbiter, aut oculos quæ fugit umbra  
tuos?)

Respice me timidis mussantem carmina labris,  
Qui Tibi curvato poplite tendo manus.

Respice difficili luctantia vota palato;

Hoc quoque quod possum fundere vota  
tuum est.

Ni mihi lenta tuus suspiria Spiritus armet,

Non erit, alatas quæ ferat aura preces.

Respice Me sacrumque Tibi, BONE, suscipe  
munus:

Non meus, ut tua sim victima totus, ero.

Dividar orbe; sibi junctas mens exuat artus,

Ut tua sit, Nati sanguine tincta tui.

Nunc pro tot meritis Me verbaque grata re-  
pendo.

Hæc Tibi si placeant, ipse placebo mihi.

Si Tibi verba fero, Rerum Faber, annue ver-  
bis.

Me Tibi si reddo, quod Tibi reddo, tuum est.

Quæ tenuis quondam sacra Musa per otia lusit,

Carmina, præconis munere functa fero.

Seu

Seu Nato bona verba profudit sedula VER-  
BO;

Victori plausus seu dedit illa DEO.

Seu pluvios cecinit divini Flaminis ignes;

Seu meritis Genios laudibus illa tulit.

Hæc nos festivis dispunximus otia curis:

Hæc tua sunt; sed & has dicimus esse  
tuas.

Pierides; DEUS hæc, dixerunt, otia fecit:

Redde tuas Curas, Otia, Teque DEO.

A 3

D.G.

D. G. MORHOFI  
OTIA DIVINA,

Sive  
Carminum Sacrorum  
LIBER.

---

IN  
NATALITIORUM  
CHRISTI

Sanctam memoriam.  
Ad Juventutem Academicam.

I.

**H**uc mentes, oculos & ora, Cives,  
Huc vos vertite, quosque puriores  
& Bruma videt Orbis ire soles,  
Et natam mediis diem tenebris,  
Præ quâ non satis ipsa lux serena est,  
Et lux mersa suis jaceret umbris,  
Absorptasque die novo tenebras,  
Natum Noctæ DEUM, pio, sereno

Casto



Casto pectore volvite, entheoque  
Astri nunc orientis igne tactas,  
Plusquam Memnonis arte sed canoras,  
Fætas Numine provocate linguas.

O Noctem sibi non piisque Noctem!  
Sed quam lux vetat esse tanta Noctem.  
Supra secula cuncta gloriosam,  
Supra sidera cuncta luminosam,  
Quæ quondam orbibus evoluta justis  
Se nobis dedit, omnibusque priscas  
Absolvit numeris Patrum figuras,  
Abstersit veteris venena secli:  
Quam vel solibus æmulam superbis  
Hospitis utut aucta Luna flammis,  
Et lapsa attonito tot astra cælo  
Mirantur face non suâ coruscant.  
Jam bonâ bona nocte verba dicat  
Qui vestrum bonus est, bonamque mentem  
Intimis amat & colit medullis,  
Et luces sibi sperat hinc beatas.

Dixerunt bona verba, qui frequentes  
Fuderunt per opaca noctis hymnos  
Cælestes Genii, & novum sonoros  
Cantantes docuere carmen orbes,  
Et Pastoribus editum sodalem,  
Pastorem populi & salutis arrham.

Altâ voce pia tulere genti.  
Praclarum venerata quæ tribulem  
Et regnantem in ovilibus magistrum,  
Et fæno positum salutat Agnum  
Flexo poplite, quodque in his ocellis  
Hoc se pectore fasciisque totum  
Ceu cælo brevior Numen abdit,  
Dum turpi jacet obrutus veterno,  
Et totos furit Orbis hic Decembres.  
Illo se DEUS exhibet theatro  
Ignotum Solymis suisque terris,  
Spectandum tamen omnibus, remotis  
Spectatum quoque Regibus Magistrum.  
Hic DEO sua regna sunt, & arctâ  
Majestas dominatur illa caulâ,  
Solis crescere quæ potest latebris,  
Et securâ suo triumphat antro.  
Stat ponè & calidas DEO ministrat  
Bos apparitor ac Afellus auras.

At Tu lumina tolle, tolle mentes,  
O Musis sacra Numinique pubes:  
Seu Tibi, Ducibus quod olim Eois,  
Certum signet iter; trahatve quod nunc  
Longo sirmate verrit astra sidus,  
Et terris male consciis minatur.  
O fædas animo repelle nubes  
Natalesque DEI subi tenebras.

Qui

Qui non sentit in his diem tenebris,  
Illum nulla dies nigrum serenat,  
Et nox continua, una, spissa mergit.  
Qui nunc ergo pio perustus oestro  
Divina cupit hospes esse lucis,  
Gentiles Erebo redonet umbras,  
Nascentique hodie DEO fideles  
Pandat, pectora dedicata, Cunas.  
Hic vinclis sibi fasciisque stringat  
Volentem Pietas, tenacibusque  
Mansurum liget hospitem catenis.  
Si nasci Puer ille vult in illis:  
Nos illo Patre possumus renasci.

---

## II.

**A**T vos ad stabulum venite Musa!  
Musarumque novem pii sodales.  
Non vos edita Montium theatra,  
Parnassi juga, verticesque Pindi  
Æternis nemora explicata lauris,  
Sed spelunca vocat, sed hirta, fæda  
Brutorum domus & lares iniqui:  
At Phæbo meliore nunc superbi.  
Non fertis caput aureum revincto,  
Sed fæno male nuda membra fulto:  
Auratum cui bucerumque servit  
Ad præsepe pecus, rudesque vasto

A S

Na-

Nato bos pius ore fundit hymnos,  
Queis mistos Asinus sonos figurat,  
Et balatibus accinunt bidentes.

At vos ad stabulum venite! Non se  
Majori Deus explicat theatro.  
Quo se vastius ambit ipse, & ultra  
Terras porrigit æquorumque campos  
Astrorumque vias, & alta cæli;  
Hoc se celsius exhibet videndum,  
Cum se contrahit in minuta summus,  
Cum se virgineo sinu recondit,  
Cum vili, pecorum sodalis, infans,  
Arctatur Deus, Agnus ipse, caulâ,  
Terramque æthere, luce miscet umbras,  
Et cælum stabuli occulit tenebris.

At vos ad stabulum venite! quotquot  
Sanctioribus usta corda flammis  
Divinis saturabitis favissis.  
Hic ipsis Schola panditur Magistris.  
Hoc nata est Sapiencia in Lyceo.  
Huc ad Bethlemias venite Athenas,  
Queis unum docet eruditque Verbum,  
Omnes omnia, nuperos ephebos;  
Omnes omnia, lynceos magistros,  
Præque hoc, bis pueros, senes, puello.  
Illo discite vagiente, quicquid

Ar.

Arcani latet inter astra verâ,  
Mens humana quod extudit, quod omnâ  
Signavit sibi docta gens ab evo.

At vos ad stabulum venite gentes!  
Huc omnes properate mente totâ  
Veloces Amor ipse junget alas,  
Nunc in his positus pusillus umbris,  
Præfert ipse faces viamque signat  
Cælo Phosphorus, ipse amoris ignis,  
Et caulam radio ferit propinquo.  
Hoc natura oculata spectat astro  
Natum per medias Deum tenebras,  
Fuscatum stabuli nigrore solem,  
Cum rebus rapit atra nox colores,  
Lucem mentibus ille fert serenam,  
Accenditque pios amoris æstus,  
Tota aurita sacros agit triumphos  
Natura & superum æmulata cantus,  
Nato mille resolvit ora Verbo,  
Vestigalibus insonans epodis.

At vos ad stabulum venite Reges!  
Huic prosternite pupulo Coronas,  
Fortuna phaleras iocantis, unâ  
Huic crepundia dedicanda Regi.  
Præsepe huic solium est, & aula caula.  
Aurum huic Barbarici tu'ère Reges,

Aurum

*Aurum temporis aurei Parenti,  
Eoos HOMINI-DEO vapores.*

*At vos ad stabulum venite Vates!  
Hic templo jacet in suo Sacerdos.  
Ipsi Vos date victimas perennes.  
Huic uni properemus usque mystæ  
Omnes sternere corda nostra cunas,  
Omnes pandere corda, templa & aras.*

*Tandem hoc ad stabulum venite, quotquot  
Ipsi estis stabula, improbâ gravati  
Intra pectora criminum saburrâ.  
Hic unus stabula Hercules repurgat.*

---

### III.

**O** *Qui dulcibus ebrii Camænis,  
Per Pindi juga, per sacros recessus  
Omnes ducitis ingenl figuras,  
O lecti juvenes, amata Phæbo,  
Musis pectora, Gratiisque, nostris  
Non jam nomina surda, muta sacris,  
Nunc plectris opus est, movete plectra!  
Nunc linguis opus est, favete linguis!  
Et nato bona ferte verba VERBO!  
Ora huic pandite, spiritus, & aures,  
Cui facundia nulla conticescat,  
Quæ solo est animata tota VERBO:*

*Cui*

Cui facundia tota conticescat,  
Uno quæ stupet occupata VERBO,  
Solo ritè silentio colendo:  
Quod non mens capit integrum, nec auris;  
Non evolverit eruditiorum  
Commentatio longa seculorum:  
Quod complectitur improbos scholarum,  
Turgentisque Stoa, & gravis Lycei,  
Pugnacisque Academia labores,  
Et quod mens peperit, subegit usus,  
Arcanoque tegit sinu vetustas,  
Et nostra è veteri recoxit atas,  
Dediscens veteres migransque formas,  
Et sumptas rediviva per figuras.

Heic VERBO sapientia omnis uno  
Quanta est conditur, illa circinati,  
Quâ se porrigit, architecta mundi.  
Nam cum continua una Nox profundis  
Antiquum premeret Chaos tenebris,  
Nulli corpora fingerent calores,  
Nulli corpora tingerent colores,  
Non vel sidereis perusta flammis,  
Vel solis radiata penicillo:  
Perrupit subito fragore spissas,  
Naturæ melioris illa proles,  
VOX & LUX pepulitque noctis umbras.  
Nam VOX lucida, LUX sonora junctos

Vii

Vibrarunt radios: locuta LUX est,  
Ut Deum videamus atque mundum:  
Illuxit sibi VOX suoque mundo,  
Ut VOX ipsa pateret, atque surdo  
Se totam ingereret daretque mundo.  
Tum tellus stetit, & cucurrit unda,  
Et vastos ruit aër in mæandros,  
Et sublime rotavit astra cælum,  
Tum totus variâque luce pictus  
Extendit spatiosa regna mundus:  
Sed noctis vaga, decolor propago  
Et mixta sine honore & arte formæ  
Gentiles pavidè sequuntur umbras.

At nunc, quæ fabricavit orbis olim  
Compagem, nova LUXque VOXque venit,  
Cum nox mentibus incubaret atra,  
Ac orbem tegerent graves tenebra,  
Humannum à Genitore missa in orbem,  
Lapsis tarda salus, sed una rebus;  
Cælo teste, clientibusque flammis,  
Quæ cunabula Numinis serenant,  
Acclamantibus ætheris Dynastis  
Natales Domino Deoque VERBO,  
Quos prona bibit aure vulgus, hymnos.

O nostros quoque nunc canamus hymnos  
Nascenti (cupit ipsa lingua) VERBO!  
Quod cælum, Deus, exiit, Deumque

Hic



Humanâ modo purpurâ coronat,  
Totus sanguine purpurandus ora,  
Manus, terga, latus pedesque Sponsus.

Huic, si quæ est pietas, preces canoras  
Allegabimus; ipsa namque VOX est:  
Audit illa suos. Teneris umbris?  
LUX est. Ne fuge. Respicit tenebras,  
Et nostras quoque luce tingit umbras.

---

IV.

**A**T vos sidereis venite regnis,  
Seu cælestibus additæ catervis  
Magno júbila funditis Tonantis  
Seu per æthereos vagæ recessus  
Choros ducitis orbium sonoros,  
Divinæ sacra ad illa nostra Musa!  
Vosque isto, juvenes, calore tactæ  
Mentes tollite, pandite ora & aures  
Ad dulces patrii sonos Olympi,  
Cantatos genito Deo triumphos:  
DEO GLORIA! PAX BEATA TER-  
RIS!  
MORTALES BONA TEMPERET VO-  
LUNTAS!  
DEO GLORIA! Concinunt beatè  
Per cælos populi simulque junctis  
Vocum mille reciprocant figuris

Plaza

Plausus, carmina, gratulationes.  
Responsat polus omnis, omne latè  
Responsat nemus & sonos fidelis  
Volvit montibus & revolvit Echo.  
Responsate animis sacrisque lati  
Novos jungite cantibus triumphos.  
DEO GLORIA! qui suos adoptat  
Vile vulgus & improbum, tribules,  
Qui nos indecores lutoque mersos  
Æterna face gloria coruscat  
Heredesque suis coronat astris.  
DEO GLORIA! qui potens malignum  
Jam Victor sibi subjicit Draconem.

PAX regnet miseris beata Terris,  
Quæ cælo sata nos revisit: illa  
Exhaustos utinam revisat agros,  
Nos nobis profugos Deoque reddat  
Non Deo amplius & sibi rebelles.

PACI sanctus Amor comes, beata  
Mentes temperet & regat Voluntas.  
Quam belle hi sibi consonant sodales,  
DEUS, PAX, BONA MENS AMOR, VO-  
LUNTAS!

Nam quisquis bene vult facitque, quisquis  
Pacem servat, habet Deum, Deumque  
Æterno sibi junget ille vinclo.

IN

IN  
RESURRECTIONEM  
CHRISTI.

I.

**S**URSUM PECTORA, VOS MEI SO-  
DALES!

*Sursum pectora! prodit è tenebris  
Luci reddita Lux brevesque noctis  
Post se sub tumulo relinquit horas.  
Solem praevenit ipse Solis Autor,  
Ipse Sol novus, ipsa Lux: & illi  
Serus officiis, dolensque vinci,  
Confessusque novo rubore crimen  
Sol succedere tardior veretur.  
Ad novum tamen ille nictat astrum,  
Et novo novus ille vellet ire  
Soli Phosphorus. Ite, vos, Amici,  
Ite Vos modo Phosphori, Sodales,  
Aut si non licet anteire Solem,  
Saltem terga pia sequamur Umbrae.*

SURSUM PECTORA, VOS MEI SO-  
DALES!

*Nam qua Virgineo sepulta quondam  
Prodit ex utero, renata mundo*

B

Vita

Vita virgine prodit è sepulchro,  
Ceu novo ex utero, novâque nobis  
Cum Vitâ novus exit ipse mundus.  
Natalesque habet hæc & hic secundos.  
O nostros quoque nunc resuscitati  
Natales celebremus, O Sodales!  
Et nostris caput efferamus urnis  
Nos Cadavera, nos sepulchra viva.  
Vivamus, mea Corcula, & sonoros  
Victori Domino canamus hymnos.  
Vivamus, Socii. renata Vita est,  
Et Mors mortua. Quid moremur hostes?  
Mortem, Tartara, Dæmonem, Tenebras?  
Exspirant fera Ditis illa regna.  
Vita nunc dominatur una. Nil est,  
Quod vos jam metuatis, O Quirites.  
Cælo vindicat illa Vos Quirites.  
Vos poscunt nova pacis illa regna.  
Hûc omnes properate, mente totâ,  
Totis viribus, omnibusq; votis.  
**SURSUM PECTORA, VOS MEI SODALES!**

II. Nunc

## II.

**N**unc sanctas pia prome Musa voces!  
 Et vos Aonii ciete Cives  
 Plausus, jubila, laureas, triumphos!  
 In novam, tumulo redit relicto,  
 Eterno sata VOX Parente vitam;  
 Quæ magni prius architecta mundi,  
 Vatum mille renunciata linguis,  
 Non longis satis explicanda seclis,  
 Hunc quem fecerat hospes ipsa mundum  
 Obstetricibus immigravit hymnis,  
 Et vagitibus abdidit Tonantem.

O sanctas pia prome Musa voces,  
 Praconis cui vox præivit, Agnum  
 Testata heu! crucis immolandum in arâ:  
 Quæ clamoribus increpans sepultum  
 Infami scelerum palude mundum,  
 Non turpi tamen eruit veterno,  
 Non spissas tamen occupavit aures  
 Surdis fabula longa, vana, terris.  
 Nam voces sibi senserat rebelles,  
 Armatas furis dolisque linguas,  
 Ludos, iurgia, probra, sputa, sannas,  
 His junctos colaphos, flagella, fustes.  
 Duravit furor, usque dum cruento  
 VOX obmutuit in crucis theatro:

Cui rupere silentium fideles  
Confessa Dominum fragore rupes :  
Cui concussa gravi dolore tellus  
Ora tot nova, quot sepulchra, solvit.

O gratas pia prome Musa voces !  
In vitam redit hoc die è silentium,  
Vox vocalior usque & usque regno,  
Et tellure sonos poloque spargit,  
Mox flagrantibus evibranda linguis.  
Huic voces animosque ferte totos,  
Excussoque pias sopore Vatum  
Ad voces vigilate, & ad supremos  
Natura gemitus tumultuantis,  
Sanctas pectore suscite curas :  
Ne, vestris Tuba cum vocat sepulchris,  
Et Vox una animis maritat artus,  
Seclusos grege calitum, ad malignos,  
Brutum, elingue pecus, remittat hircos,  
Nigrantisque ululata regna Averni :  
Sed cæli ut potius novi Quirites,  
Lauru sidereum caput revincti,  
Inter perpetuos poli triumphos,  
Victori comites DEO & sodales,  
Æternùm Domino per astra VERBO  
Sanctos cum Geniis canatis hymnos.

III. PAX

III.

**P**AX VOBIS VENIAT SALUS QUE CI-  
VES!

*PAX à Principe Pacis & Salutis,  
Quam natalibus excitatam ab astris  
In terras DEUS intulit rebelles;  
Quam, nascente DEO, per astra fufis  
Cælorum pia turba vexit hymnis;  
Quâ nil sanctius est beatiusque;  
Quam sancto DEUS ore consecratam  
Suasit omnibus unicè colendam;  
Quam vel supplicio crucis redemptam  
Extremam moriens reliquit arham.*

**PAX VOBIS VENIAT SALUS QUE  
CIVES!**

*Victor hanc hodie, novis triumphis,  
Magnus ille hominum & DEI sequester,  
Nostris hostibus & suis represfis,  
In vitam rediens, reduxit orbi.  
Bellorum sator & faber dolorum  
Nunc jacet DRACO fufus: ille sparfo  
Si per infidias nocet veneno;  
Hoc uno superabitur Magistro.  
Hujus castra Ducis sequamur: illum  
Ejuremus & improbam Draconis  
Vitemus sobolem; parata palma est;*

B 3

PAX

*PAX divina venit, venit citatis  
PAX humana subitque agros quadrigis.  
Nam cum Pace Deus; Dracone bellum est.*

*PAX VOBIS VENIAT SALUS QUE  
CIVES!*

*Natus ex utero, redux sepulchro.  
In caelos rediturus hanc requirit  
Terrarum hospes & Aetheris Dynasta.  
Rerum summa salus & una PAX est.  
Quo nunc, ô Bona, quò recedis? effer  
Sanctum Diva caput, revise nostras  
(Quam fervent Tibi vota nostra!) Terras.  
Quin manus modo jungimus, Sodales,  
Et Pacem patulis precamur ulnis:  
O PACEM Bone, redde, redde PACEM,  
Princeps Pacis & Arbiter, Salutem,  
Quam Tu discipulis Redux tulisti,  
Fer nostris, DEUS ô benigne, Terris:  
PAX VOBIS REDEAT SALUS QUE CI-  
VES!*

---

**IN**



IN  
EFFUSIONEM  
S. SPIRITUS.

I.

**T**ollite nunc oculos animosque ad sidera,  
Cives:  
Depluit in sanctos flamma beata  
Viros.

Flamma Deum testata agilis sub imagine lingua.  
Hâc specie aethereâ Spiritus arce venit.  
Ut sibi Cor pandat, se Spiritus ingerit: Ipse,  
Ut queat ora Deo solvere, Lingua venit.  
Lingua venit, tacitis nunc, VERBO abeunte, mi-  
nistris.

Aptius haud VERBO, credite, munus erat.  
VERBUM abit in linguas, VERBO que movebi-  
tur uni

Quæ venit è cælis lingua, vel ore sonat.  
Fallimur, an nova nunc linguarum semina spargit  
Spiritus, ut messem tot sibi corda ferat?  
Illas Discipuli Linguas habuere Magistras,  
Igneaque ipse suis infula Doctor adest.  
En ut ab arcano turgescant pectora sensu!  
En ut inexhausto spiret in ore Deus!

Ora novos indocta sonos stupuere loquentem:  
Mens vario tamen his una sub ore redit,  
Circumstant populi, ac omnes mirantur in uno  
Nunc populos, & in hoc vox sua cuique  
placet.

Heic sibi gentiles peregrinâ in gente requirunt:  
Gestit Arabs Arabas & Scythâ nosse Scy-  
thas:

Sed sibi dissimiles, monitos meliora salutant  
Qui, quanquam serò, nunc sapere, Phryges.  
Mentiri soliti fundunt oracula Cretes,  
Hic Cilicem videas Cappadocemque probum.  
Spiritus aethereis qui lustrat sordida flammis,  
Exuet infami nunc ΤΡΙΑ ΚΑΠΠΑ notâ.  
O sanctas vibret ille faces, & pectora linguis  
Vestra suis, Cives, armet & igne coquat!  
Haec quoque nunc vobis caeli sint munera, lin-  
gua.

Lingua Virum Menti non malè iuncta facit.  
Qua regat orbem Mens, linguae docuere flagran-  
tes;

Quae sedeat vobis Mens, pia Lingua docet.  
Centum alii linguas optent sibi; sufficit una:  
Et bona Mens, Sapit haec, & sonat illa  
Deo.

II. Huc

**H**uc animos, huc ora pii convertite Cives!  
 Æthere nunc rupto depluit ipse  
 DEUS.

Non novus in Danaën auri ruit imbres doloso  
 Jupiter. Hoc habeat fabula prisca scelus.  
 Quamquam ego, (nam magna est hominum ve-  
 sania) multos

Sic pluvio credo malle madere Jove.  
 Sed monitis meliora (procul mala nomina!) plus  
 quam

Aureus hic vobis ignis & imber erit.  
 Pandite nunc linguis habitanda flagrantibus  
 ora.

Ignis hoc hospes limine pectus adit.  
 Pandite nunc animos & quæ modò corda viderè  
 Digna queant flammæ missilis igne peti.  
 Discite quo Pietas in vobis semine surgat.

Scilicet ipse docet vos ELEMENTA DEUS.  
 TERRA sumus, stupida, & cælestis egentia flammæ

Corpora, quæ moles vel sua figat humi.  
 TERRA sumus, veteri sed degenerantia limo.  
 Nomina, pejoritate sepulta luto.

Spiritus, ignavo ne pondere pressa residat,  
 Hanc subit, & sacris excitat hospes  
 QUIS.

Hoc primum incipiet tacito motore moveri.  
Fortior hinc, cælo lapsa sed AURA venit.  
Illa rapit resides ducitque per æthera sensus,  
Hinc animos pluvio Spiritus IGNE liquat.  
Hoc feriente, abeunt fatui cum nubibus ignes,  
Et noctis soboles omnis & umbra fugit.  
Hac ô inexhausto vobis in fomite flamma  
Fluctuet infames depopulata focos!  
Spiritus ingenitum, quæ se movet, eluat undis,  
Everrat ventis, excoquat igne scelus.  
Ignibus ereptos Stygiis vos denique Luci  
Asserat, & servet LUX sacra, luce satos.  
Sic benè compositis coëunt elementa figuris,  
Terraque stat cælo jam bene mista suo.

---

III.

**T**empus adest, Cives, quò lapsus ab æthere  
venit.  
Spiritus & sancto perpluit igne pios.  
Aura comes placidas pressit tacito impete flam-  
mas,  
Inque aurâ sonuit, luxit in igne Deus.  
Tu quoque sancta veni ac animis illabere nostris.  
AURA, tuas pleno numine subde faces!  
AURA VENI, qualis venisti Vatibus olim,  
Afflatu tacti qui caluere tuo.

AU.

AURA VENI, qualem divino misit ab ore  
Salvator, sociis hæc ubi dona dedit.  
Te subeunte, sacri fundunt oracula Vates,  
Mensque tuis alis vecta per astra volat.  
Evocat illa Deum & toto se Numine vestit:  
Ille habitata sibi pectora & ora rapit.  
Te subeunte, aures ruperunt vincula surda,  
Oraque ceperunt reddere muta sonos,  
Et lux excussâ rediit caligine cæcis,  
Nec firmi claudos destituere pedes.  
Quâ tu cunque moves, secedit pectore torpor,  
Membraque fulta tuâ mobilitate vigent.  
Funeribus nova vita redit, sua membra revisit  
Spiritus atque novo fœdere juncta ligat.  
AURA BEATA VENI, Te sensibusingere  
nostris,

Grandisonasque reple voce potente tubas.  
Divina sonuere tubæ. Neque littora tantum  
Jordanis possunt hos meminisse sonos.  
Quâ venit & fessus quâ mergitur æquore Titan,  
Quâ Boreas stringit, quâ Notus urit a-  
gros,  
Exiit ille sonus populorumque impulit aures.  
Hi nôrunt, illæ quem sonuere, Deum.  
Divina resonate tubæ & clangoribus orbem  
Rumpite, ne surdâ respuat aure Deum.  
Hostica si cecidere tubarum saucia cantu  
Mœnia, nec voces sustinuere graves;

Ex.

Excutiat seculo frontem sacra buccina & ora  
Ferreā, quod triplici pectus in aere sedet,  
Subsidant tumidi specioso nomine muri,  
Quos sibi spes fallax ambitioque struit.  
Disjiciat ruptis montes compagibus, & se  
In valles pia mens abdat agatque suas.  
Heic sedeat jaceatve; tamen magnam exstruit  
urbem.

Templaque, sed soli rite sacrandā Deo.  
AURA VENI & nostras felicibus imbue mentes.  
Flatibus, en animos pandimus, ora, sinus!  
Discute qui surgunt fatui de cordibus ignes,  
Exorere o tenebris lux, medicina malis.  
Curarum nebulas dispelle, furoribus aestus  
Subtrahere, ne novus in fulmina fomes hiet.  
Coge pias intra sitientia pectora nubes,  
Unde sacra arcano perpluat imbri Charis.  
Desuper in lacrymas flentes solvantur ocelli,  
Deque bonā surgat sic bona mente seges.  
Quā fovet Aura, pio prognata educataque fundo  
Illa bonā semper fruge beabit herum.  
Jamque Deo reddit se mens fecunda colono:  
Ad sacra jam soboles horrea pura venit.  
AURA VENI, in mediis miseros solare periculis:  
Sis Helice quassa, sis Cynosura rati.  
Circumstant densisque urgent latus omne procellis,  
Nosque sibi spoliū ventus & unda ferunt.

Per-

Perpetuus miscet sese cum turbine turbo,  
Et nubes oculis eripuerit diem.  
Adversam hinc Boreas crudeli verbere puppim  
Sauciat, hinc madido subruit ore Notus,  
Confligunt Euri Zephyris, furiosaque nobis  
Atque sibi pugnas turba marique movet.  
Heic brevia & Syrtes, heic est metuenda vorago;  
Heic scopuli infames saxaque caeca sedent.  
Quò mittes, oculis se plurima mortis imago  
Ingeret; ipsa necem, quae latuere, ferent.  
Scilicet haec Vita facies, his pendula semper  
Fluctibus incertas it redit illa vias.  
Iidem animos lacerant, qui verrunt a quora venti,  
Et varius mentem in devia turbo rapit.  
Illa quod odit amat, quod amaverat immemor  
odit,  
Quae fugienda, cupit; quae cupienda, fugit.  
Discordes vexant titubantia pectora cura;  
Obsistunt votis vota, viisque via.  
Hinc furor in praecipua agit; hinc male sana libido;  
Hinc genus omne doli mergit, & omne mali.  
AURA VENI, lapsosque & in hac vertigine  
mersos  
Erige, Tu molles sterne serena vias,  
Eripe naufragio mentes, mundo eripe & Orco:  
Tu sibi, Tu caelo, Tu Tibi redde tuas.  
Tolle tuis, ne nos tumidum mare sorbeat, alis.  
Te praesente manum porrigit ipsa Salus.

Diffus

Diffugiunt lapsi ruptis ex utribus Euri,  
Et Boreas posito terga furore dedit.  
Lascivi cedunt pennis rorantibus Austri,  
Et pressum nebulis occulere caput.  
AURA VENI, Te Spes fractos veniente revisit,  
Et portum in mediis naufraga querit a-  
quis.

Mollia Tu miseris, sua quos incendia torrent,  
Adspira & blando frigore flabra iuva,  
Ne sub mærorum sudantes mole fatiscant,  
Ne furiis Erebi corda perusta gemant.  
Nulla Tibi cum Dite nigro consortia: qui Te  
Ut fugiente venit, sic veniente fugit.  
Te sapimus spirante & deteriora perosi  
Discimus hinc moniti jam meliora sequi,  
Et vel sera male facimus convicia vitæ,  
Et sordet nobis dulce cupido malum,  
Ipsaque divinis uruntur pectora flammis,  
Atque novis crescit motibus aucta Fides.  
AURA VENI, propera AURA! novas in car-  
basa vires

Suffice. Tendemus quâ licet ire viâ.  
Rumpamus, pia corcla, moras, ventisque secundis  
Cum licet, ad portum nostra carina ruat:  
Sin minus; & ventis luctantibus obnitamur,  
Ac obliqua ratem, nec gravis aura ferat.  
Ut placidos vultus fortuna, ut sumat acerbos:  
[Naufragio faveat, qui volet, usque suo:]

No



Nostra tamen sperata subibit littora puppis,  
Atque novâ stabit fronde revincta caput.  
O Patria! ô Divûm domus! ô sacra, ô aurea  
Tempe!

Jam species sensus vestra animosque ferit.  
AURA VENI! rape nos & fulminis ocyor alis  
Siste tuos superûm sedibus! AURA VENI!

---

IN  
FESTUM SS. ANGE-  
LORUM DIEM.

\* \* \* \* \*

I.

MEDITATIO  
è Verbis Salvatoris.

Matth. 18. vers. 3.

Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰὰν μὴ στραφῆτε, καὶ γένηθε  
ὡς τὰ παιδία, ἔ μὴ εἰσελθῆτε εἰς τὴν βα-  
σιλείαν τῶν ἑρανῶν.

CHRISTIANI

ΑΕΙ ΠΑΙΔΕΣ ΚΑΙ ΙΣΑΓΓΕΛΟΙ.

**Q**uid titulos, & opes, & grandia nomina  
jactant,  
Qui primo cupiunt esse, sedent q. loco?  
Vos

Vos melius sapuisse velim, mea cura, Sodales.  
Vellem ego vos pueros esse, jubetque Deus.  
Stat puer e linguis, tumidis pudor ille Magistris.  
Magnum hinc Doctores scilicet instar ha-  
bent.

Nil ego Bucephalo vectos, & dira crepantes,  
Nil ego Alexandros [nomina quanta!] moror.  
Illa trochum versans, equitansque in arundine  
longa,

Plus, vel Alexandris amula turba, sapit.

Ne SEMPER-PUEROS Memphis contemnere  
Grajos

Audeat! hos titulos Vosego ferre velim.

Si sapis, aeternum veteres dedisce Magistros,

Quisquis es, ô aude, si vir es, esse puer!

Ah! nescis, quantum hoc lateat sub nomine  
pondus!

Esse puer malis, nec quod es, esse velis.

Nil puero majus, nihil intemeratius illo est.

Hoc sapere exemplo nos jubet ipse Deus.

Qui puerum nobis ostenderat ipse Magistrum,

Idem, qui Deus est, caeperat esse Puer.

Cumque sibi similes; pueros cupit esse: nec ulla

Plus atas caeli possidet atque Dei.

Quò magis extremis vivit semotus ab annis,

Hòc propior vita est, & sapit astra puer,

Cognitiorque sui manus est Autoris: at inde

Nequior à pueris est Vir, eritque Senex.

Hinc

Hinc primum in vetitos animosior aestuat ignes,  
Plusque peregrina mens vaga fecis habet:  
Hinc semper cupidis, sua semper hiantibus ob-  
stant

Vota, nec expletur tam furiosa sitis.  
Orba Deo tandem pronis mens fertur habenis,  
Et sua cuique subit dira cupido Deus.  
Jam petimus nummos. Quid tum? connubia?  
Quid tum?

Rura, domos, Quid tum? regna: sumusque  
VIRI.

Jam veteres patriam turbamus sede colonos,  
Miscemus caedes, bella: sumusque VIRI.  
Vivimus ex raptis: perjuriam, crimina miramur  
Fingimus arte, damus verba: sumusque VIRI.  
Jamque gulam Veneremque novo succendimus  
igne.

Et vix Semiviri dicimur esse VIRI.

Arma, togae, tituli, fasces, diademata, mitrae,  
Quaeque suos ornant signa notantque Viros,  
Illa Viros, sed plus nocitura, crepundia ludunt:  
At phalerae populis haec puerisque patent:  
Induat arma, togas, quisquis sibi plaudit in illis:  
Induet aeternum mens sibi nota Deum.  
Quam sancto pia mens nobis splendet amictu!  
Ista facit puerum Vestis, ut illa Virum.  
Ista Deum faciet. Deusen! Deus aethere toto  
Illapsus caelo hic sub brevior latet.

C

In

*In minimis immensa latent, egressaque fines*

*Heic natura suos se, sibi victa, fugit.*

*Maximus è puncto cum volvitur orbis; & orbis*

*Ille pusillus apex pars speciesque sui est,*

*Nascamur pueri. Præit en! Natura: per or-  
bem,*

*Illa rudimentis reddita tota suis.*

*Illa, suam veluti volucris prædata senectam,*

*Latior emeritos induit usque dies.*

*Nostraque nos exempla monent. Qui missus in  
orbem,*

*Est puer, exhibit bis puer inde senex.*

*Nascamur pueri. Validi procul este Gigantes,*

*Non sit, qui pugnis provocet astra suis.*

*Illa humiles animos generosa Infantia suadet,*

*At qui repit humi spiritus, astra petet.*

*Sumimus Herculeos, Pygmaei sæpe, cothurnos,*

*Et gens in nugis ambitiosa sumus.*

*Congerimus montes animo, magnosque colossos,*

*Et cælos ultrà mens malè sana ruit.*

*Simplicitas animo redeat, moresque modesti.*

*Nen sibi, sed cælo qui sapit, ille sapit.*

*Prætextata graves vincet sapientia barbas.*

*Dimidium illius, qui bene nescit, habet.*

*Si quis in errores deceptus imagine veri*

*Labitur, aut animo volverit ante dolos;*

*Ad puerum redeat: nam fraudum ignara parentes*

*Illa suos atas diligit atque pares;*

*Nil*

Nil fuci, nil artis habet. Sic degere vitam  
Qui cupit, à pueris exuat ille Virum:  
Unguibus indulsit qui forte rapacibus olim,  
Innocuos redeat nunc Vir ad unguiculos.  
Ut placidum ducant curis in fontibus ævum.  
Grandævi cupiant bis pueri esse Senes,  
Proque suâ quivis studeat puer esse virili.  
Absolvit numeris omnibus ille Virum  
Nascamur Pueri. Vivamus, amemus, ut illi.  
Et Puer ipse suis Vatribus audit Amor.  
Hic veteres discant nova nunc elementa Magistri.  
Ille Viris ludus nunc puerilis erit.  
Literulas sciolis satis est cognoscere binas.  
ALPHA DELIS nobis, OMEGA solus erit.  
Discere plura cupis? quod continet omnia, VER-  
BUM est,

Quod nullis capiunt secula mille libris.  
Si potes, ede sonos: primum sonet ALPHA: se-  
cundum,

Hinc post mota sonet labra: sonabit AMA.  
Non tribus illa libris Vati memoranda Profano,  
Literulis tribus Ars discitur omnis: AMA.  
Ergo legant omnes, relegantq;: reciproca Vox est.  
Tu, Bone, AMA, Bone Tu, quisquis es alter,  
AMA.

Respondet sibi totus Amor totusque recursat,  
Perque suas redit (id Vox docet una) vices.

Jam legat alter: AMO, non vox equalis, amorque  
est.

ALPHA DEUS, DEUS O, quando amat, in-  
quit: AMO.

Par nobis Amor, atque suis se finibus ambit:

Illa, quod æternum est, litera juncta notat.

Dicat AMO, Deus ipse; pio Tu dixeris ore:

Fertur in immensum plena potensque  
Deum.

Si sumus infantes, & verba invita sequuntur;

Simus; habet linguam mens quoque muta  
suam.

Ad mammæ referemur? & hic super æthera  
raptos

Quæ pascat teneros, lactea tota Via est.

Immò ultra pueros uterum redemus in ipsum.

Nos uterum GENITOR vellet inire su-  
um. \*

Omnia qui immenso immensus complectitur  
orbe,

Se totum nobis; nos dabit ille sibi.

\* Es. XLVI, 3.

---

II. Huc

## II.

**H**ilc ades, o Cælo Musisque operata Juven-  
tus!

Illapiâ vobis mente colenda dies.  
Namque dicata piis fuerat quæ Mentibus olim,  
Nunc quoque non alias ad sua sacra vocat.

Divinos tamen his non exhibeamus honores.  
Nam pia gens nobis sponte ministra venit.

Aligeris alas, currentibus addere calcar

Nil opus: officii nam memor illa sui est.

Vipereum procul esto genus, plebs fæda Draco-  
nis!

Non miscenda sacro nomina vestra gregi.  
Ille suo cecidit turbatus ab æthere quondam,  
Repit & ignavâ pulverulentus humo.

Vos quoq; (nam cæli quæ vobis cura relicta est?)

Este procul turpi pectora mersa luto.

Pectora nostra DEUS castas sibi deligit aras:

Ne teneat Daemon has lutulentus haras,

Ne tamen ille iterum, qui quondam habitavit in  
illis,

In porcos alios non novus hospes eat.

Immundos gens fastidit purissima Verres,

Non nisi cognatis mentibus illa comes:

Non amat illa Lupos, quæ magni sedibus Agni

Exit, & errantes blanda reducit oves.

At Vobis Genios, docti ô meliora, beatos

Conciliet virtus vitæque sancta Duces,

C s

Exi.

Exigite innocuum divinis testibus ævum:  
Inde Salus vobis præsidiumque venit.  
Sic cupida vobis labentur ab æthere Mentis,  
Seque volent vobis jungere, vosque DEO!

---

III.

**S**I vobis bona Mens & alma, CIVES,  
Est cordi Pietas, sacerque dias  
Ardor vellicat incitatque mentes,  
Nunc ô æthereis dicite castas  
Mentes Mentibus, ætheris dynastis:  
Sed magno mage Mentium Magistro,  
Æterno cui fonte stagnat ille,  
Qui tot se in Genios refundit Ignis,  
Ejusque innumeros propinat haustus,  
Queis illi saturi Deoque pleni,  
Per cæli varios solique tractus  
Hinc atque hinc patulis feruntur alis,  
Ac oracula deferunt Tonantis.

Hi vobis, pia corda, sint sodales,  
Hos vobis facite, ô Boni, tribules.  
Circumstat pia turba vosque recto,  
Quà viam pietas bonique mores  
Signant, tramite ducit, at volentes,  
At non sordibus improbis gravatos,  
Sed rectos animo, dolique puros.

Ergo vivite, vivite & beatas  
Mentes motibus otis que pastas.

Totes



Totas pandite Numini, & ministros  
Omnes excipite aetheris Quirites:  
His ductoribus ibitis per omnis  
Vitæ lubrica, temporumque cursus,  
Fortunaque volubilis mæandros.  
His doctoribus erigetis alta,  
Cælo pectora, & illa lapsa ab astris  
Totam se SOPHIE dabit videndam.  
Illi addent operi manus fideles,  
Firmabuntque latus, satellitesque  
In vestram excubias agent salutem,  
Avertentque truces Draconis ictus,  
Et post fata Deo sibi que jungent.

---

IV.

Post multos Christianorum  
adversus Turcas Triumphos, & fœ-  
cundam anni messem.

**V**icimus, o Cives! concurrite, vota tropeis  
Jungite, stant Aquila, succubuitq; Dra-  
co.

Vicit io MICHAEL! Deus his Deus adfuit ausis,  
Armatulit Virtus, Eusebieque preces.

Pugnârunt omnes, Germania milite, censu  
Roma; animis, manibus consiliisque pii.

Terga dedere acies, erepta Thracibus urbes,  
Exuitur castris, pellitur hostis agris.

O quam

O quam felici fulserunt sidere luces!  
Quæ nobis unus gaudia mensis agit!  
Fallimur? an famula exultant iuga sancta Sionis,  
Et Solyme pressum subrigit ægra caput.  
Increpuere nova cervicibus usque procellæ,  
Hostis & ex omni fulmina parte timet.  
Hinc Aquila altivolans: Venetus Leo mitilat illinc:  
Urquibus illa suis, fulmineque illa suo.  
Itur in adversos magnis conatibus hostes,  
Quæ veniunt, telis nunc latus omne patet.  
Aucta animis virtus post tot nova prælia surgit  
Acrior & nullo vulnere tacta cadit.  
Totus cum Geniis nobis cælestibus Æther  
Militat, o nostras audiat ille preces!  
Audiant & Geticis falces cervicibus ultor  
Ingerat atque novâ corpora messe metat.  
Audiet & plures sæcundis messibus annos  
(Ut fuit hæc multâ fruge beata) dabit.  
Hic annos donis spoliisque coronet opimis.  
Illa Deo datur, hæc messis ab hoste venit.  
Crescetis segetes, victrices crescite palma,  
Impleat ut nostros utraque messis agros,  
Et veniant nostris segetes palmaque Camænis,  
Divite queis cornu Pax male fulta latus.\*  
Threjicii auctumno toties signate triumphis;  
Angelicos quoties heic pia turba canit.

\* Alluditur ad insignia Academia.

F I N I S.

Q 3042 ✓


ULB Halle 3  
007 398 433



VD17

M.C.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	3/Color	Black
Cyan	White	
Green	Magenta	
Yellow	Red	

G. MORHOFFI  
 OPTICA  
 VINARIA  
 Sive  
 TERMINUM  
 MACRORUM  
 LIBER.

LUBECÆ,  
 ad Petrum Böckmannum,  
 Mauritii Schmalhertzii, 1685.